

DISPUTATIO QUARTA

EX EPISTOLA

PAULI AD CORINTHIOS

posteriori, proponens ἀνάλογον capi-
tis tertij,

Cujus positiones

Divina adjuvante gratia,

Præside

DAVIDE RYNGIO S. S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE

in Academia Wittebergensi publico

defendet 19. Maij.

M. IACOBUS BRUVERUS

VVolgastanus, Pomeranus.



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus

Pauli Helwichij, Anno 1599.


A
2
MAGNIFICIS,
NOBILISSIMIS, CON-
SULTISSIMIS, GENERIS
præstantiâ, virtute, Doctrinâ & autoritate
clarissimis viris, Dn. Cancellario, nec non cæ-
teris, Illustrissimorum Principum Pomeraniæ
in aulâ VVolgastensi, Consiliariis, Domi-
nis, Meccœnatibus & promotoribus suis, de
votâ animi reverentia æternum
suspiciendis

hasce positiones Theologicas

Offert, dicat, consecrat.

M. JACOBUS BRUVERUS
VVolgastanus.

CAPVT TERTIVM.

 Ecunda pars hujus Epistolæ apologetica est, qua Apostolus ministerium suum & doctrinam tuetur adversus calumnias Pseudodotorum, qui cum ex Iudæis ad Christianæ religionis professionem accessissent, fascinati adhuc plurimis Iudaicis opinionibus, legis doctrinam dignitatemque exaggerabant, eamque longè præferebant voci Evangelii de Christo. Atque hoc nomine Paulum Apostolum partim extenuabant, partim contemnebant, quod is de lege parum esset sollicitus, sed eam tantum in postremis concionum partibus, tanquam normam vitæ & pietatis inculcavit. Interim verò plurimum temporis & laboris impenderet doctrinæ de Christo fide apprehendendo. Accedebat & alterum, quod cum Lex illustribus miraculis & Dei apparitionibus, magnoque splendore & terrore promulgata esset, simul certa politia & sedes Ecclesiæ Veteris testamenti constituta est, assignato eidem optimo florentissimoque regno instituto, Sacerdotio & sacris, excitati sunt Prophetæ excellentes autoritate & miraculis, dati Reges & heroes insignes victoriis. Hæc omnia in oculos incurrentia dignitatem & præstantiam ministerii Evangelici, dispersi in toto orbe terrarum, & expositi certaminibus hæreticorum & persecutionibus tyrannorum, longè superare videbantur.

His ac similibus objectionibus occurrit Apostolus hæc secunda Epistolæ parte, & doctrinæ Evangelicæ dignitatem tantis verborum & sententiarum & rerum luminibus ac ponderibus amplificat, ut cum ea Legis Mosaicæ splendor nullo modo videatur conferendus.

Et hoc quidem capite initio per transitionem exordij loco connectit hanc tractationem cum præcedenti, dum ostendit sibi vel propria commendatione, vel aliorum literis commendatitijs apud Corinthios opus non esse, cum ex ipsa Evangelij sui prædicatione & efficacia, per quam Ecclesia illius loci primitus collecta & fundata erat, ipsis

*Occasio est
argumen-
tum hujus
tractatio-
nis.*

*Splendor
veteris
testamen-
ti.*

*Argumen-
tum capi-
tis tertij.*

612

satis notus commendatusq; sit. Deinde vim omnem atque efficaciam sibi ademptam, uni Deo ascribit, & quod sit proprium munus suum ostendit, quod nimirum sit minister Novi testamenti. Hac denique occasione confert inter se vetus & novum Testamentum, Legem & Evangelium, ab effectis & adiunctis, continuans hanc *σύνκρισιν* usq; ad capitis finem.

Sunt igitur partes capitis tres.

Primò. Exordium est, quo arrogantiae & *κενοδοξίας* suspicionem diluit, & veras ministerii sui laudes complectitur.

Secundò: Modestam & piam extenuationem personae suae inserit, qua omnem efficaciam utiliter aliquid cogitandi aut agendi soli Deo fert acceptum, & se non Legis aut Veteris Testamenti, sed novi Testamenti praekonem divina autoritate constitutum affirmat.

Tertiò. Collationem instituit Veteris & Novi Testamenti, Legis & Evangelii, & hoc illo multis nominibus antefert.

PRIMA PARS.

Incipimus &c. Annectitur haec pars verbis praecedentibus quae extant capite secundo vers. 15. 16. & 17. quibus ministerii Apostolici dignitatem & efficaciam, suamq; in hoc sublimi officij & honoris gradu fidelitatem sinceritatemq; commendarat: Hoc malevoli poterant rapere in calumniam, quasi Paulus vere laudis inops, seipsum commendare Ecclesiis cogatur: Id per occupationem interrogationibus figuratam, acuta retorsione in adversarios dirigitur: *Num incipimus nos ipsos commendare? Aut egenus Epistolis vos & τῆ κᾶς, à vobis ad alias Ecclesias, vel ab alijs ad vos, sicut quidam, notans hoc ipso non se, sed accusatores suos huius rei, de qua ipsum accusabant esse reos. Respondet igitur Paulus negativè: Nimirum, se isto commendationis genere neque apud Corinthios neq; apud alios indigere. Vbi non rejicit simpliciter consuetudinem petendi aut communicandi commendationes, cum ipse plurimos Epistolis suis commendet Ecclesiis, ut Timotheum, Titum & alios, sed ostendit, ea tantum*

*De commendati-
onis Episto-*

35

tantum illos indigere quorum labores & merita nondum sunt in Ecclesia nota, se verò laboribus, Vigilijs, Passionibus meritis id jam consecutum esse, tum alibi, tum apud Corinthios, ut alioqui & notus & commendatus ipse aliisq; sit satis. Hanc sententiam proponit figuratam oratione Metaphorica, perita à literis: *Epistola, inquit, nostra vos estis, &c.* Quasi dicat, Quod aliis est ac præstat Epistola commendaticia. Id ipsum mihi vos Corinthii estis & præstatis, dum re ipsa de nostris laboribus & meritis testari potestis. Ideo vos estis *Epistola nostra* quam ego ut certissimum laboris & fidelitatis meæ testimonium mecum circumfero, non descriptam in charta, sed in corde meo: Et hæc non tantum in paucorum venit noticiam, ut literæ *επιστολή*, sed agnoscitur & legitur ab omnibus hominibus, quibus fama de vestra ad Christum conversione, facta Pauli Apostoli ministerio, innotescit.

Manifestati &c. Digressio in commendatione Corinthiorum, desumptam à similitudine Epistolæ; sicuti enim antea dixerat; vos estis Epistola nostra respiciens nimirum ad suæ personæ commendationem: Ita nunc converso termino inquit vos estis Epistola Christi ostendens testimonii istius, quod Paulo ex Corinthiorum conversione & obedientia contingit, fructum non modò ad Apostolum redire, sed etiam ad ipsos Corinthios, qui hoc ipso Manifestum faciant omnibus, quales sint, nimirum Epistola, non Mosis, sed Christi, *στον ουρανόν*, hoc est, multo sudore ac non sine molestia à nobis exarata: Non ut aliæ, scripta atramento, sed spiritu Dei vivi, non ut olim Lex in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnis.

Scita hæc est Apostoli translatio, quæ Christum confert supremo dictatori ac scriptori: Apostolos & doctores Ecclesiæ partim amanuensi, partim stylo aut calamo: corda Corinthiorum (non lapidea, qualia fuerunt secundum naturæ ortum, sed carnea, hoc est emollita per regenerationem Ezech. 36.) tabulis: Spiritum Dei atramento, quo notæ imprimuntur tabulis aut chartæ.

Quid autem huic Epistolæ inscriptum sit, id tanquam notum nō exprimit Apostolus, intelligens nimirum veram

A 3

&c

Ecclesiæ à Paulo plantatæ sunt Epistola commendaticia.

Opus commendat artificem.

Credentes sunt Epistola Dei.

Similitudo Epistolæ.



& salvificam agnitionem Christi Salvatoris nostri & interiore mentis inserentem novas virtutes, inchoantem novam obedientiam Deo placentem: Atque sic inchoatam imaginis Dei in homine, (deletæ & abrafæ per peccatum) restitutionem.

T H E S E S

I.

Corda humana sunt similia tabulis, quibus imago Dei in prima creatione homini impressa, crasa est per peccatum originis.

II.

Imago

Dei.

Eph. 4.

Non enim nunc generantur homines in quibus luceat Dei imago, consistens in perfecta cognitione essentiae & voluntatis divinæ, & lucens justitia & sanctitate vera, & plena conformitate omnium virium & appetitionum:

III.

Imago Sa-
tanae.

Sed his deletis, expunctis & crasis successit in locum imago Satanæ constans tenebris ignorantiae in mente, injusticia & impietate in voluntate, & contumacia in omnibus viribus & appetitionibus pugnante cum lege Dei. Ideo dicitur: Genuit Adam filios & filias ad similitudinem suam. Gen. 5. Qualis nimirum ipse tum erat.

IIII.

Rudera
prioris
structurae

Supersunt tamen in anima hominis aliquæ reliquiae (ostendentes quale prius ædificium fuerit) nimirum noticiæ naturales de Deo quod sit, & de discrimine honestorum & turpium, ex quibus oritur conscientiae læticia aut dolor pro diversitate factorum, etiam in hominibus planè impiis & de Deo non institutis.

V.

Hoc est, quod Paulus Rom. 2. dicit, gentes natura facere quæ legis sunt, nimirum, quo ad externam disciplinam, & habere opus Legis scriptum in cordibus: Et gentilium animos vellicari interno conflictu cogitationum de invicem accusantium & defendentium.

6. In

VI.

In hanc tabulam mentis Philosophia, Politica & reliquæ disciplinae honestæ inscribunt non modo multarum artium præcepta, sed etiam ostendunt semina & quædam externa attributa virtutum: Imò etiam Lex Dei per se considerata, docendo quæ sit Dei voluntas, inscribit aliquam noticiam de Deo & officiis virtutum.

*Scriptura
sapientiæ
humanae
& Legis.*

VII.

Sed hæc omnia atramento confert Apostolus, quo non nisi mortua litera imprimitur tabulæ, cum ista ad renovandum & transformandum hominem nihil adjumenti afferant. Ideo Augustinus libro de spiritu & litera dicit: Legem Dei foris scriptam esse, non in ipsa corda hominum, quæ illius noticia non renovantur aut emendantur.

*Lex foris
scripta.*

VIII.

Christus igitur Salvator per verbum & Sacramenta dato Spiritu Sancto, ablato corde lapideo, in eius locum substituit cor carneum, Jerem. 31. Ezech. 36. Et abluens sordes à Diabolo asperfas sanguinis sui aspersione, novam Epistolam animo humano inscribit, ut Apostolus loquitur, hoc est, incipit restitutionem imaginis Dei, infundit veram fidem de Messia, & per hanc ipsum regenerat ac novum efficit hominem, simulque inserbit legem in corda renatorum, ut secundum interiorem hominem delectentur Lege Dei Rom. 7.

*Scriptura
Evangelij*

IX.

Hanc illustrem sententiam textus Apostolici, desumptam ex cap. 31. Jeremiæ, Papistarum aliqui ineptè eduxerunt, quasi doctrina Novi Testamenti scripto comprehendendi non debeat, sed tantum traditione vivæ vocis conservari. Et hoc discrimine diviserunt Verus Testamentum à Novo, quod ad illius naturam spectet scriptio, ad huius verò traditio.

*Antithesis
Papistici
figmenti.*

X.

Sed hanc futilem depravationem textus Paulini refutat ipsa res: Nam & multa ab Apostolis ipsis scripta edita sunt, non ad vetus Testamentum spectantia, sed ad Novum:

vum:



Vum: Essetque hæc declaratio facta contraria, cum Paulus ipse scripserit plurimas Epistolas,

X I.

Chrysoftomus quidem homil. 1. in Matthæum hæc dicta scripturæ de prima Evangelii per Christum incarnatum patefactione & propagatione per Apostolos, vivæ vocis prædicatione non scriptis facta, interpretatur.

X II.

Non verò docet, pugnare institutum scriptionis cum natura Novi testamenti. Et veritatem integritatemque totius Evangelicæ doctrinæ non ex Apostolorum & Evangelistarum scriptis, sed ex traditionibus necessariò petendam esse.

X III.

*Finis scri-
ptorum
Apostoli-
corum.*

Idè enim scripto completi voluerunt Apostoli dogmata sacra, ut ea firmius puriusque assertarentur, cum jam ipsi suo tempore deprehenderent, passim vagari erroneos, qui titulo traditionum Apostolicarum, & prætextu suppositiarum Epistolarum Ecclesias decipiebant & veritatem doctrinæ adulterabant, ut patet ex Act. 15. 2. Thes. 2.

SECUNDA PARS.

*De voce
Sufficien-
tiæ.*

Egregia commendatio ministerii Evangelici & efficacitæ eiusdem, tradita parte præcedenti, ne esset obnoxia calumniis, nunc unde originem suam habeat, edisserit: Sibi enim & reliquis Apostolis eorumque ministris adimit omnem vim utiliter aliquid cogitandi vel agendi in tantum munere eamque soli Deo acceptum refert. *Hanc fiduciam, inquit, gloriandi de ministerii nostri efficacia habemus non ex nostrarum virium pensitatione conceptam, sed per Christum ad Deum.* Cum enim nostras vires intuemur nihil in illis deprehendimus præsidii aut nervorum ad tantum opus inchoandum aut absolvendum. Hanc assertionem probat insigni sententia *βεβαιή* delumpta ab *ἀδυναμία* humanarum virium in rebus spiritualibus. Notanda est Emphasis vocum Græcarum *ικρῶν* & *ἰκανότης*, quas verus versio malè reddidit nomine sufficientiæ, Ex qua Pelagianus Pontifici

Pontifici & Synergistæ perperam inferunt Liberi arbitrii vires etiam si non sufficiant, tamen non omnino nullas esse. Disertè negat Paulus nos ex viribus congenitis vel humana prudentia aut industria acquisitis, idoneos, aptos vel accommodatos esse ad aliquid non modo efficiendum, vel dicendum, sed ad cogitandum saltem, Omnem verò *ἰκανότητος* nostra ex Deo esse: Vox λογισαδῶ hoc loco non ut Rom. 4. de imputatione, sed de simplici cogitatione usurpatur sicuti 1. Cor. 13. Charitas non cogitat malum.

Qui & idoneos &c. Applicatio thesios ad hypothesin 2. Nemo hominum est, *ἰκανός* ad cogitandum aliquid, vel agendum in rebus spiritualibus sine Dei nutu. Ita & nos in partibus ministerii exequendis planè nulli essemus futuri, nisi Deus ipse nos idoneos faceret ministros, ut Novum Testamentum hoc est doctrinam de Messia in carnem misso, deq; peracto per ipsum redemptionis nostræ opere per totum terrarum orbem propagare, atque ex omnibus gentibus Deo Ecclesiam colligere huius doctrinæ prædicatione possimus.

T H E S E S

I.

De effectu prædicati Verbi etsi variè iudicat humana ratio, ministro tamen Evangelii minimè dubitandum est, semper esse aliquos, quorum corda Dominus per verbum prædicatum ferit, aperit, illuminat & sanat. Hæc est enim illa fiducia quam habemus per Christum ad Deum: Et Verbum Domini non revertetur vacuum. Esa. 55. Id contra Suencfeldii discipulos numero infinitos hoc est verbi divini irritos tenendum.

*Efficacia
verbi.*

II. Fundamentū autem huius fiduciæ non est excellētis ingenii, multæ lectionis, variæ doctrinæ, exquisiti iudicii & admirandæ eloquentiæ consideratio, sed fides statuens Christum Iesum adesse ministerio, ac spiritu suo flectere corda ad obedientiam.

B Notan-

*Vide anal-
ysin 8.
cap. Epist.
ad Rom.*

III.
Notanda imprimis venit ex hoc textu insignis sententia de virium humanarum *ἀδυναμία* in rebus spiritualibus, jam dudum enim explosa est Pelagij opinio statuentis hominem per bonum naturæ posse implere legem Dei & mereri vitam æternam.

IV.
Neq; tantum aliquas vires nobis adimit hoc dicto Apostolus, sed dum id quod minimum est, videlicet cogitare, demit, simul quæ difficiliora factu sunt detrahit.

*Exceptio
Synergi-
starum.*

V.
Patroni liberi arbitrii ut hoc tam validum telum infringant, ajunt non loqui Apostolum de omnibus hominibus, sed tantum de Ecclesiæ ministris: Neque omnem cogitandi vim adimere hominibus non renatis, sed tantum hoc velle, quod minister verbi ex seipso ea quæ ad Ecclesiæ ædificationem faciunt cogitando assequi non valeat, sed quod ex Spiritus Sancti instinctu ista fluant omnia.

*Cogitatio
duplex.*

VI.
Fatemur sanè scopum Apostoli principalem in loco præsentis spectare ad verbi divini præcones, Veruntamen hanc sententiam ad hos solos pertinere tantumque ad illorum cogitata officii spectare pernegamus. Cum ex verbis textus manifestum sit, Paulum detrahere omnem vim cogitandi aliquid omnibus in genere. VII.

Fatemur verò & hoc, Non loqui Apostolum de omnibus cogitationibus quocumque tandem veniant nomine: Quis enim non videt homines non renatos quotidie ex malitia cordis sui sæpe pessima quæque cogitare, Imò etiam de honestate, virtutibus, disciplinis, artibus, contractibus & similibus rebus rationis humanæ judicio subjectis, indices & cogitare multa & pro arbitrio statuere: Et quis ignorat, Papam eiusq; turbam multa ad ministerii administrationem falso spectantia excogitasse?

*Vis con-
versionis
à Deo.*

VIII.
Sed hoc genus cogitationum, de quo Paulus loquitur, ad efficaciam conversionis nostræ ad Deum pertinet, in qua tantum abest, ut mentis humanæ acumine & voluntatis non renatæ spontanea inclinatione, quicquam cogitando assequi

aut efficere valeamus, ut potius renitamus veritati mon-
stratae in verbo. 1. Cor. 1. IX.

Nam & mentis nostrae iudicio doctrina articulorum fidei
stultitia est 1. Co. 1. & 2. Et voluntatis nostrae decreta omnes-
que appetitiones & studia inimicitia sunt aduersus Deum
Rom. 8. X.

Merito igitur Augustinus li. de praedestinatione Sanctorum
cap. secundo inquit: Quod ad religionem & pietatem atti-
net non sumus sufficientes cogitare aliquid, quasi ex nobis,
& nemo sibi sufficit ad *incipiendum* vel *perficiendum* quod-
cunq; opus bonum. XI.

Patet hinc, fidem non esse opus humanarum virium,
sed Dei donum & opus, aperientis corda per Spiritum san- *Fides Dei*
ctum & verbi meditationem, sicut ostendit exemplum Ly- *opus.*
diae Acto. 16. XII.

Frustra igitur Bellarminus lib. 6. de gratia, & libero arbi-
trio cap. 13. volens nostrorum objectionem petitam ex dicto
Apostoli, oppositam Patronis liberi arbitrii, ex viribus in na-
tura nostra reliquis defensi, exultat inquit: Hic locus ma-
ximè nobis favet: Non enim negat Apostolus nos suffici- *Verba Ie-*
entes esse, sed negat nos sufficientes esse ex nobis, continuo *suit a.*
enim addit Sufficientia nostra ex Deo est. Itaq; sufficimus a-
liquid cogitare imò etiam velle et facere. *Sed posteaquam vi-*
res à Deo accepimus: Et nisi liberi essemus arbitrii, non rectè
diceremur sufficere ex nobis, sicut non rectè diceret aliquis,
jumentum aut lapidem non sufficere ex se aliquid cogitare
de Deo. Hæc ille. XIII.

Animadvertite lector Christiane in his paucis verbis par- *Confuta-*
tım Spiritum vertiginis in Iesuitis, partim vim veritatis. Si *tio.*
enim verba illa; *Posteaquam vires à Deo accepimus,* de accepti-
one naturali, quæ fit per propagationem naturæ humanæ
intelligi vult, quid obsecro inter ipsum & Pelagiū est diffe-
rentiæ? Nōne hæc fuit Pelagii hæresis, dicētis fidem ideo di-
ci Dei donū, quia Deus autor est omnium virium, & dono-
rum naturalium in nobis. XIV.

Si de speciali donatione virium facta per Spiritum S. re-
generantem nos & vivificantem, ista verba intelligit, tum
quid aliud agit, quā veteratoriè Deo & hominibus illudit: Tā
enim

Fall. plu. questio. enim novit, quam suos digitos, non esse inter nos & Pontificios quæstionem, quid homo *Renatus* ex viribus à Deo acceptis præstare possit, sed de hominis non renati in suis viribus, In renatis enim liberum arbitrium quodammodo restitutum esse, per initia renovationis nostræ, confitemur: Sed hoc in præsentis statu planè est ἀπεροσδιόνυσον, Vides igitur Iesuitæ solutionem ad dictum præsens futilem esse.

XV.

Denique Iusus in verbo *sufficiendi* in textus analysi refutata est. Ex hac enim voce imperitè colligit, præsupponi in homine aliquam δύναμις, cum de bruto hæc phrasis usurpari nequeat.

XVI.

Sane capacitatem passivam qua homo à brutis differt præsupponi non imus incipias, Activam verò, qua homo ipse aliquid in se virium habeat gratiam Dei oblatam apprehendendi, hoc verbo significare negamus & quæ ac quælis sit Pauli sententia, dictum est in textus ἀναλύει.

TERTIA PARS.

Quæ duabus præcedentibus capitibus partibus sunt explicata, ad tractationis apologeticæ Exordium spectant, quo diluit ambitionis accusationem, & partim ad Corinthiorum testimonium provocat, quo scit se satis commendatum esse Ecclesijs, partim ad Deum autorem refert omnia, benignè suppeditantem vires utiliter cogitandi & agendi. Quia vero accusabatur à Pseudoapostolis, quod sprete lege Moysi & Ceremoniis Iudaicis divinitus institutis, vilem & abjectam de Christo doctrinam tantum proponeret, porro ad rem ipsam accedit, & initio ingenuè faterur sibiq; laudi & honori ducit, quod per Dei gratiam & operationem sit idoneus minister Novi Testamenti, non Veteris sæderis cujus majestatem perperam interpretabantur & defendebant doctores Iudaizantes.

Est itaque propositio hujus tertiæ partis: Novi Testamenti, cuius ego ministrum me profiteor, longè major est dignitas & majestas, quam veteris. Hanc probat aliquot rationibus petitis ab utriusque sæderis collatione.

Non

Non litera &c. Prima antithesis & simul prima ratio est desumpta ab appellationibus, quibus natura utriusque indicatur. Vetus testamentum est litera, Novum est Spiritus: Hoc ergo illo præstantius. Sumta autem est appellatio à prima promulgatione legis, quæ literis descripta in tabulis lapideis tradita fuit Moysi & Populo Israel.

Quia verò nemo est qui eam perfectè implere, imò qui suis viribus absolutam eius impletionem inchoare possit: Ideo lex est & manet litera scripta, cui totius humani generis debita nunquam propriis viribus exolvenda inserta sunt.

Novum testamentum & Evangelium de Christo Iesu vocat Spiritum, tum quia Christus ipse actu implevit omnes umbras & typos veteris testamenti, tum quia vox Evangelii simul habet adjunctam donationem Spiritus S. per quem corda regenerantur vivificantur & illuminantur, renovantur & sanantur, ita ut jam actu vivere vitam novi hominis incipiant.

Quantum igitur interest inter imaginem pictam & vivum hominem, tantum inter Legem & Evangelium est discriminis. Patet hinc quam scæda sit depravatio textus Paulini, qua litera de sensu scripturæ literalis, spiritus de allegorica interpretatione explicatur.

Litera occidit &c. Secunda collatio Legis & Evangelii est de effectu utriusque: Litera occidit, Spiritus vivificat. Lex Dei per se est ministerium vitæ secundum dicta Luc. 10. Hoc fac & vives, Lev. 18. Gal. 3. Custodite Leges meas & judicia mea, quæ faciens homo vivet in eis. Habet autem promissioni vitæ annexam conditionem perfectæ obedientiæ, sicut ex illdem patet testimoniis, quæ quia ab hominibus præstari nequit, teste Davide Psal. 143. Non iustificabitur in conspectu tuo ullus vivens, Rom. 7. Lex Spiritualis ego carnalis venundatus sub peccatū. Ro. 8. Lex est infirmata per carnem, & caro ei non potest subjici. Ideo ex hac naturæ corruptione oritur contrarius Legis effectus in nobis videlicet, quod est διανομία θανάτου, denunciatio nimirum peccatoribus mortem, & verè eam in eis efficiens coarctando conscientiam maledictionibus, ut ex voce Legis nihil nisi mortem sentiat, Deumque ut hostem fugiat, Evangelium verò est

B 3

ministe-

Spiritus
quid hoc
loco signi-
ficet.

II.
Lex con-
cio vitæ.

Euangelium est odor vitæ. ministerium vitæ, qua Spiritus S. nos in peccatis mortuos Ephes. 2. suscitatur & vivificat, ut agnito Mediatore apprehenso Deum ut patrem accedere & compellere possimus. Ideo dicitur Verbum vitæ æternæ Ioh. 6.

III. Lex literis sculpta. *Quod si &c.* Tertia pars συγκρίσεως a subjecto: Lex quæ est ministerium mortis non factis, sed solis literis expressa fuit, non in cordibus humanis, sed in saxis vel tabulis lapideis (Observa hic nõ ceremonialis, non legum forensium sed ipsius Legis moralis notationem) Evangelium verò est ministerium Spiritus: Vbi tacitè alterum collationis membrum perstringit, evidentius expressum in Ieremia, & Ezechiele, videlicet; Scribam legem meam in cordibus eorum, & auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.

Evangelium spiritu impressum cordibus.

*Ier. 31.
Ezech. 36.*

Huic membro attexitur conclusio. Si prius illud fuit in magna gloria, multisque miraculis in promulgatione ornatum, quorum non postremum fuit, quod filii Israel non potuerint in faciem Moïsi intueri propter gloriam Legis abolendæ Exod. 34. Quanto magis administratio Spiritus & cordium mutatio gloriosa.

IIII. Lex damnat.

De voce iustitia.

Nam si. Quarta collatio est ab alio effectu: Lex sicuti homines tantum pungit mandatis & occidit, ita maledictionibus tantum condemnat, Ac nemini peccatis contaminato viam monstrat adipiscendæ, iustitiæ: Sed Evangelium est ministerium iustitiæ, afferens unicam & veram rationem adipiscendæ iustitiæ coram Deo. Differt hæc collatio à secundo membro ut causa ab effectu: Iustitiæ enim effectum vita: Sic condemnationis, mors. Hinc infert Apostolus, si Lex homines damnans fuit in gloria, multò magis Evangelium homines iustificans. Observa Christiane Lector antithesin iustitiæ & damnationis diligenter opponendam Pontificijs, qui iustificationem non de iudiciali actu, sed de novarum qualitatum infusione accipi volunt.

Nam ne quidem &c. Amplificatio est præcedentis argumenti: Sic concionem Legis seorsim consideres, tum illa quidem gloria est ratione primæ promulgationis, & non contemnenda gloriosa in Veteris Testamenti, totiusq; Ecclesiæ

fiæ & politiæ Iudaicæ. Sed si eam conferas ad doctrinam Evangelii, prædicatam in toto orbe, ad splendorem Ecclesiæ collectæ ex omnibus gentibus, ad miracula & martyria, quibus hæc doctrina est obfignata, tum prior illa doctrina ne quidem habenda est in eorum numero, quæ gloriosa sunt, propter excellentem posterioris gloriam: Ut enim Solis ortus obscurat stellarum lumen: Sic Evangelii prædicatio ministerium Legis.

Si enim quod aboletur &c. Quinta collatio ab adjuncto: Lex aboletur, Evangelium manet: gloriosius igitur hoc illa. Aboletur Lex non modo quo ad Ceremonias & constitutiones forenses, quæ unâ cum Ecclesia & Politia judaica expiraverunt, sed etiam Lex moralis aboletur. At quo modo? Explicat id & à depravatione, quasi Lex ipsa quæ est æterna Dei sapientia, aliquando abolenda sit, emphasis Græcæ vocis *καταργεῖν*, quæ significat rem *ἀργόν*, ociosam & inutilem reddere, ita ut omnes vires facultatem ac potestatem agendi amittat: Sic Lex per imputationem obedientiæ **C H R I S T I** justificatos, neque accusare aut condemnare potest, Rom. 8. quippe totaliter absolutos: neque in hac vita quenquam justificare, cum à singulis propriam requirat obedientiam & totius naturæ integras vires: Sancti verò quamvis multis peccati reliquiis sunt obnoxii, tamen aliena justitia per fidem imputata sunt perfectissimi: Probat quidem Lex justitiam imputatam tanquam perfectam, qua ratione Apostolus dicit, justificationem Legis impleri in nobis Rom. 8. Sed eam non efficit neque docet. Non potest denique Lex cogere renatos ad præstandam obedientiam quam ipsi sponte sua Deo exhibent. Fit igitur planè *ἀργόν*, ac tantum retinet naturam generis, quod videlicet, doctrina est monstrans quæ opera Deo placeant, quæ non.

Evangelium verò non aboletur, sed manet, asserens æternam justitiam nullis seculorum seculis delendam aut evertendam.

v.
Lex aboletur, Evangelium manet.

Contra Antinomos.

I.

II.

An renatorum justitia quodammodo sit legalis appellanda?

III.

ἸΧΟΥΤΕΣ



Exovtes &c. v. 12. Conclusio principalis cum de dignitate & utilitate Evangelicæ doctrinæ tam præclatis documentis firmis persuasissimè, sanè multa *παρρησία* in docendo utimur, neque calumniis, malevolorum, qui huic doctrinæ *παρρησία* adversantur aut detrahunt, ulla parte cedendū arbitramur.

Lex neminem illuminat. Et non sicut. Sexta antithesis utriusque ministerii, Legis & Evangelii ab effectis: Lex foris perstringit oculos, hoc est, luce & majestate sua percellit animos peccato corruptos, quos tamen revera non illuminat, sed excæcat: Evangelium verò per Spiritum S. tenebris ignorantia & inimicitia adversus Deum discussis expulsisque, novam lucem affert, & homines per mirandam quandam *μεταμόρφωσιν* ad imaginem Dei transformat. Hoc igitur illo longè præstantius.

Mosis velamen. Hanc collationis partem figuratè proponit Apostolus, involutam typo historico, quem evolvit monstrata significatione. Historia ex Exodo cap. 34. nota est, quomodo Moses rediens ex monte afferens tabulas Decalogi integras contactus fuerit velare faciem, quoties cum populo loqui voluit. Hoc ad Legis efficaciam, illustrantis faciem Mosis, referebant Pseudoapostoli & multis amplificabant. Respondet Apostolus concessione & inversione: Mosis quidem facies fuit illustrata, sed ea lux interpolito velamine ex Iudæorum oculis, eâ nō ferentibus, fuit sublata & animi interim illorum sunt excæcati. Itaque nunc per allegoriam declarat, quidnam velamine hoc non quidem ex Mosis intentione, sed tacito Spiritus S. iudicio fuerit significatum, videlicet, quod usque in hodiernum diem velamen illud in lectione Veteris testamenti maneat in cordibus Iudæorum, non revelatum, ut neque veram sententiam nec finem promulgatæ Legis aut constitutæ Politia Iudaicæ, nec denique veram iustitiæ coram Deo consequendæ rationem possint agnoscere.

Iudæorum cæcitas. Hanc inscitiam multis præconceptis falsis opinionibus de Lege & Messia vocat Paulus velamen, quod non alia ratione, quàm per Christum agnitū tollitur: Is enim nos ex tantis tenebris deducit in manifestam lucem, & ex obscuris omnia reddit planissima, cum ipse sit lux illuminans omnem hominem Iohan. 1. Ad hunc igitur ubi cor illorum fuerit conversum,

Velamen inscitia tollitur per Christum.

versum, & qui ex populo Israël reliqui sunt, ubi hunc Mes-
siam agnoverint, tum tolletur velamen, & omnia quæ ipsis
nunc sunt Cimmericis tenebris obscuriora, tum futura sunt
planissima.

Dominus autem. Ratione confirmat hoc enunciatum
præcedens de sublato velamine conversis ad Christum, quia
inquit Dominus est: *ubi autem Spiritus Domini ibi libertas.*
Magna servitus est legere Molen sine sensu & fatigari cura
inani, atq; interim habere cor excæcatum. Ab hac tristi ser-
vitude liberat conversos Dominus, quia Spiritus est: Phra-
sis hæc non de essentia divina, sed de Spirituali efficacia E-
vangelii per quod datus Spiritus Sanctus, & bona spiritua-
lia, intelligatur. Vbi igitur talis est Spiritus, is dat testimo-
nium in cordibus, quod renati à maledicto accusatione &
coactione legis sint liberati per filium Ioh. 8. & quod liberè
possint accedere ad Deum, fiducia mediatoris, quodq; à ty-
rannide Diaboli, peccati, mortis & inferni liberati, pace frui
possint æterna. Rom. 5.

Nos autem. Conclusio antitheseos præcedentis, per
Epiphonema, quo libertatem, lucem & gloriam filiorum
Dei credentium in Christum, illustrat magnificis verbis, de-
sumtis ex historia paulo ante ex Mose allegata. Iudæi te-
ctam Mosi faciem intuebantur, ipsi nihilo meliores ab ipso
facti, sed magis excæcati: Sed nos resecta facie, tanquam li-
berati à servitute, sublatoq; velamine tenebrarum mentis,
intuemur non faciem Mosi, sed *δόξα πνεύματος* hoc est, Chri-
stum Iesum, qui est gloria æterni patris. Et hæc contem-
platione imaginis Dei, quæ fit ardenti fide & apprehensione
Mediatoris simul *in eandem imaginem transformamur*, dum
in nobis per Spiritum Sanctum accenditur nova lux agniti-
onis Dei, novum incendium amoris Dei & nova conformi-
tas omnium virtutum, atq; hæc transformatio non fit subito,
sed *ἀπὸ δόξης ἑἰς δόξαν*. Fit enim paulatim naturæ destructæ
redintegratio & veteris hominis abolitio, ut ita pedeten-
tim de gloria imperfecta in gloriam perfectiorem transfera-
mur; Beneficium enim regenerationis nostræ, à quo hæc
μεταμόρφωσις dependet, in hac vita tantum inchoatur, in

C

altera

Spiritus.

De voce

Spiritus

Gloria

Christia-

norum.

Regenera-

tio incho-

ata.

altera demum absolvendum. Causa autem princeps hujus
comutationis est Dominus Spiritus: Sic per appositio-
nem vocat Paulus Spiritum S. vocem Iehovæ exprimens
& divinam ejus naturam indicans, cum solius Dei sit nos
peccatis corruptos transformare.

Ex hoc textu plura doctrinae Christianae capita in con-
siderationem veniunt, quorum praecipua tantum thesibus
aliquot inclusa proponemus.

T H E S E S

*Contra O-
rigenem.* **I**nitio ex vocabulis Spiritus & literæ ponderanda est
Origenistarum prava scripturas non interpretandi, sed
depravandi consuetudo. Illi enim literam vocarunt sen-
sum literalem, eumq. parum prodesse legenti autumarunt,
Spiritum verò allegoriam, quam solam utilem discipulis
stultè opinati sunt: Cum ea interdum rectè & appositè exco-
gitata delectet, ut ea quæ Gal. 4. extat apud Paulum, ut plu-
rimum inepta sit, praesertim si ubiq. queratur, doceat parum,
probet nihil. II.

*Contra En-
thusiastas.* Circa eadem verba Enthusiastarum error annotan-
dus, qui sub litera intelligunt verbum Dei scriptum & præ-
dicatum, Spiritu verò revelationes enthusiasticas, & illo ne-
glecto atq. irriso has captant, contra expressam Pauli inten-
tionem, qui hoc ipso ministerium praedicationis Evangelicæ
vehementer commendat. III.

*De utroq.
Testamen-
to.* Principalis doctrina hujus textus est de discrimine
veteris & novi Testamenti, deq. differentia Legis & Evan-
gelij. Initio igitur de appellationibus & quomodo conveni-
ant inter se Lex & vetus Testamentum, Evangelium & no-
vum fœdus, dicendum est. IV.

*De voca-
bulis.* Propriè loquendo appellatio veteris Testamenti latius
patet, quam vox Legis: Hæc enim *ἡ γωνία* notat Deca-
logum, & veteris statuta de Ceremoniis & Politia Judaica.
Illà verò interdum generaliter complectitur totum statum
veræ Ecclesiæ ab exordio mundi usq. ad Christi adventum:
Sic

Sic dicimus Patriarchas vixisse in Veteri Testamento.

V.

Ex hac notione nominis oritur altera, qua omnia scripta quæ historiam & doctrinam Ecclesiæ à condito mundo usq; ad Christi nativitatem describunt, appellantur scripta V. Testamenti.

VI.

Specialiter verò vetus Testamentum inchoatur ab educatione populi Israël ex Ægypto postquam Deus fœdus iniit cum populo Israelitico Exod. 19. confirmatum immolatione victimæ & sanguinis aspersione: Et complectitur hoc sensu strictiori, promulgationem Legis, constitutionem Sacerdotij & Politicæ Iudaicæ, quarum singulis certæ promissiones rerum spiritualium & corporalium, & imprimis terræ Cananiticæ fuerunt annexæ, cum conditione obedientiæ, ut certa esset sedes & gubernatio Ecclesiæ usq; ad Christi adventum, & ut mentes carcere Legis constrictæ, peccata agnoscerent & pædagogia rituum ac victimarum de præcipuis operibus ac beneficiis Messicæ ad nonitæ, eundem avidè expectarent.

VII.

Hinc scriptura appellatur בְּרִית hoc est fœdus, five pactum, in quo duarum partium consensus & obligatio ad recipiendum & expectandum aliquid, concurrunt. Reciprocè enim Deus cum populo & populus cum Deo fœdus iniisse dicitur, sicut patet Exod. 19. Ios. 24. 2. Reg. 23. Nehem. 10. Et Ieremias cap. 31. manifestè discernit hoc vetus pactum à novo, secundum interpretationem Epistolæ ad Hebræos cap. 8.

VIII.

Novum Testamentum eodem modo in triplici vocum differentia usurpatur: Nam & totus status Ecclesiæ à Christi nativitate, morte, resurrectione, in cælos ascensione & Spiritus S. super Apostolos effusione, usq; ad mundi finem hac voce innuitur: Et scripta historica atq; dogmatica, quibus Christi & Apostolorum acta continentur, & doctrina Evangelij perspicuè tradita est, vocantur usitatè Novum Testamentum.

C. 2

Propriè

IX.

Descriptio N. T.

Propriè verò Novum Testamentum vel novum fœdus est ipsa Evangelii promissio, de redemptore humani generis in peccato mortui, afferente peccatorum remissionem, justiciam & vitam, & gratis distribuyente hæc bona credentibus, patefacta primum in Paradiso, & postea sæpè repetita & umbris quibusdam involuta, plenè verò per adventum Christi in carnem manifestata, perq; illius obedientiam activam & passivam realiter impleta ac deinceps ministerio apostolorum & successorum sparsa per totum terrarum orbem, vt hac prædicatione colligeretur Ecclesia ex omnibus gentibus, & conscientia voce legis consternata erigerentur fiducia mediatoris, & participes fierent justiciæ & vitæ æternæ.

Novum T. antiquissimum

Novum T. antiquissimum

Ex hac descriptione apparet fuisse novum Testamentum etiam tempore veteris Testamenti, tum quo ad rerum quæ in eo gerenda erant vaticinia & typos, tum quo ad efficaciam convertentem & sanantem conscientias hominum; Hac vna enim via salvati sunt ab initio mundi, quotquot æternæ hæreditatis facti sunt participes.

XI.

Inter fidem igitur patrum in V. Testamento & fidem piorum in novo Testamento, hoc est discriminis, quod illi in venturum Messiam crediderunt, de cuius adventu & operationibus vaticinia alia aliis illustriora habebant: Nos verò credimus in Messiam exhibitum in carne, de cuius illustribus actis historias omnibus circumstantiis illustratas scimus.

XII.

In eo autem fides credentium in utroq; fœdere convenit quod utriq; in vnum Messiam crediderunt, & ab eo non temporalia bona hujus vitæ, sed remissionem peccatorum, justiciæ & vitæ æternæ donationem expectarunt & per fidem sunt consecuti.

XIII.

Sacramentorum differentia in utroq; fœdere.

Inter reliquas differentias quarum plurimæ possent recenseri, illustris est, quam Apostolus Heb. 10. recenset: Lex enim habuit futurorum bonorum, non εἰκόνα, innuens hoc ipso in sacrificiis Veteris Testamenti Christum quo ad carnis substantiam, victimarum immolatione tantum

tum fuisse adumbratum; In Novo verò Testamento eundem Christum verè præsentem. actu omnes umbras impleviffe, & nunc in Sacramentis nostris eundem carnis & sanguinis sui substantia non præfigurari, sed verè præsentem esse & operari.

XIV.

Quod si Novi Testamenti Sacramenta nihil essent aliud, quam significatio & adumbratio carnis Christi procul absentis, tum longè melior fuisset conditio patrum in Veteri Testamento, quorum sacrificia evidentioribus typis fuerunt adumbrata, quàm Sacramenta Novi foederis. Immolatio agni immaculati, ejusq; manducatio facta certis ritibus adhibitis & sanguinis aspersio longè evidentius significat Christi immolationem in cruce & manducationem carnis illius spirituales, quàm panis distributio & manducatio.

XV.

Denique vetus Testamentum simul habuit conjunctas rerum temporalium Promissiones de certa politia, defensione, victoriis, fertilitate, multiplicatione sobolis, multaque prosperitate hujus vitæ, atque ambitu suo solum Iudaicum populum propriè inclusit. Novum verò Testamentum non occupatur circa hujusmodi bona, sed tantum annunciat & affert æterna: Hæc verò temporalia ubique locorum in toto terrarum orbe relinquit, non abolendo politias aut leges honestas.

XVI.

Horrenda igitur depravatio & fraus est Romanensium, qui tempore Novi Testamenti eandem formam gubernationis Ecclesiasticæ sub uno summo Sacerdote victorias & cætera temporalia bona ex prædicatione expectant.

XVII.

Quia verò diversa genera doctrinarum Legis & Evangelii in utroque testamento maximè illustria sunt, de illorum discrimine quædam adjiciemus. Differunt autem tum per se collata, tum respectu nostri.

XVIII.

Per se considerata hæc doctrinarum genera differunt primò subjectis, quia Lex tantum loquitur de operibus, quæ nobis præstanda vel omittenda sunt; Evangelium verò loquitur de operibus gratiæ, quæ D E V S nobis præstitit & quotidie in filio exhibet; Ideò docet de Christo Iesu, eiusq;

C 3

incar-

*Differen-
tes pro-
missiones*

*De discrimi-
ne Le-
gis & Ev-
angelij.*

incarnatione, obedientia, exaltatione & beneficiis, de quibus rebus longè maximis in Decalogo verbum nullum.

XIX.

Iustitia legalis.

Secundò, promissionibus: Lex promittit vitam æternam Iustis legaliter, hoc est, his qui perfectè implent omnia mandata Dei, & nullis peccatorum sordibus sunt polluti: Evangelium eandem gloriam æternæ hæreditatis promittit injustis, peccatoribus, pœnitentibus & fide confugientibus ad Christum mediatorem. XX.

Tertiò, Genere doctrinæ: Lex non tantum promittit, sed etiam minatur & maledicit inobedientibus: Evangelium verò nemini maledicit, sed omnes suavissimè invitat ad amplectendam gratiam in Christo exhibitam Matth. II:

XXI.

Respectu nostri differunt itidem tribus modis. Primò Noticia: Lex enim quod ammodo est nota Roma: 2. Evangelium est mysterium absconditum, à seculis quod non nisi ex patefactione innotuit Ioh. I. Rom. 16.

XXII.

Secundò, Objectis; Legis ministerium spectat ad contumaces & præfactos humiliandos: Evangelium verò pertinet ad humiliatos & consternatos erigendos & consolandos. 1. Tim. I.

XXIII.

Tertiò, Effectibus: Lex neminem hominum justificat Gal. 2. Rom. 8. nec dat Spiritum Sanctum, Gal. 5. Sed tantum terret, damnat & occidit, Idq; non de Lege ceremoniali sed de Morali expressè Paulus confirmat 2. Cor. 3. v. 7. Evangelium verò affert donum Spiritus Sancti & hominem illuminat, erigit, justificat, vivificat. 2. Cor. 3. Gal. 3.

XXIV.

An Evangelium sit nova Lex.

Falsum proinde Papistarum est dogma, quod Evangelium sit nova quædam Lex: Etsi in Evangelio quoque sunt aliqua peculiaria mandata, ut de fide in Christum, in baptismo, & usu cœnæ Dominicæ, Tamen ea quatenus mandata & præcepta Dei sunt, ad primam Decalogi tabulâ spectant, secundum Evangelii declarationem intellectam: Ad Evangelium verò referenda sunt, quatenus sunt media & organa salutis æternæ gratis oblatae, in Christo apprehendendæ.

Ex

XXV.

Ex confusione horum duorum capitum orta est colluvis variorum errorum in Papatu: præcipue verò Evangelica doctrina de gratuita justificatione peccatoris coram Deo transformata est Pharisaico more in legalem justiciam, in-hærentem hominibus.

*Ut de con-
silijs &
præceptis,
de merito
de perfe-
ctione Ev-
angelica.*

XXVI.

Patet enim etiam ex hoc textu iusticiæ vocem in articulo justificationis nostræ coram Deo non de infusis virtutum habitibus, sed de absolute in iudicio (facta per imputationem justiciæ Christi per fidem apprehensæ Rom. 3. & 4.) accipi, Id ostendit antithesis justiciæ & condemnationis. 2. Cor. 3. v. 10. Rom. 8. v. 33. & 34.

XXVII.

Coniuncta quidem sunt ista duo beneficia in homine, imputatio justitiæ Christi, & renovatio ipsa, natura inhærens, Neque altera unquam est sine altera, cum fides in homine esse nequeat, sine Spiritus Sancti interna operatione, renovante naturam corruptam, quam Paulus vocat μεταμορφωσις in hoc loco: Sed tamen in actu justificationis diligenter sunt discernenda. Non enim pronunciamur iusti coram Deo propter renovationem in nobis factam, sed propter solùm Christum fide apprehensum.

*De reno-
vatione.*

XXVIII.

Hinc quod justificatio nostra nulla incrementi aut decrementi habet intervalla, sed est in credentibus continuatus actus, quamdiu sunt & manent tales: Renovatio interior verò sensim in hominibus augetur per exercitia verbi, invocationis & crucis, vel minuitur per securitatem & ignaviam, Imò etiam planè excutitur per peccata contra conscientiam.

XXIX.

Neque tamen vox μεταμορφώσεως impio Manichæorum & Flacianorum dogmati de substantiæ mutatione suffragatur cum non substantiæ hominis abolitionem, sed emendationem & translationem in meliorem statum in Paulo significet.

*Contra
Flacii er-
ror em.*

XXX.

Deniq, observandū est insigne testimonium de Spiritus S. æterna deitate, quæ hoc loco probatur tum appellatione τὸ κυρίου, quæ de Deo usurpata in N. Testamento, respondet voci Iehovæ

612



Iehovæ in veteri foedere, tum opere quod solius Dei est proprium, videlicet transformatione humanæ mentis ad imaginem & gloriam immortalis Dei: Cui unâ cum Patre & filio sit laus & gloria in æternum, Amen.

SOLI DEO GLORIA.

PIO ATQVE DOCTO IUVENI
VIRO, DN. M. IACOBO BRUVERO
amico suo singulari.

Est Sortis vis magna: sed omnis maxima Fati,
Constat id exemplo, doctæ BRUVERE, tuo.
Illa tibi quintum dederat caput: Hocce tuendum
Dat præsens. Sortem Fata tuam usque juvent.

M. Conradus Ruhel, VViteber-
gensis fecit.

E I D E M.

Pallade ab Ausonia tibi dum concredita dona
Impendis studio, doctæ IACOBE, sacro:
Gratulor, atque modis te multis hortor & oro,
Ut modò cœpisti, sic benè semper eas.
Sole nec ut viridis, marcet, nec frigore, laurus,
Doctrina æternum sic habet illa decus.
Non tamen humanis opibus non arte paratur
Hæc eadem: solo at Numine dante venit.
Iccirco Dominum votis atque ore precabor,
Adsit ut inceptis tempus in omne tuis.
Gratia grata tibi sic & continget abundè
Et fies patriæ fama decusq; scholæ.

Iohannes Rungius Gryphisvaldensis
P. benevolentia & amoris ergo
gò scripsit.

Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle 3
002 392 011




TA → OL

VD17

Retrokonv.,







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO QUARTA
EX EPISTOLA
PAULI AD CORINTHIOS

posteriori, proponens ἀνάλογον capi-
tis tertij,

Cujus positiones
Divina adjuvante gratia,
Præside

DAVIDE RUVNGIO S. S.
THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE
in Academia Wittebergensi publico
defendet 19. Maij.

M. IACOBUS BRUVERUS
VVolgastanus, Pomeranus.



WITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus
Pauli Helwichij, Anno 1599.

15994

672

